

materiali, alteri venditur: de qua proinde *can. Quid est aliud. dist. 88.* dicitur: *Quid est aliud negotium, nisi, que possit vilius comparari, carius velle distrahere.* Concordat textus in *can. Efficent. ead. dist. 88.* Et talis negotiatio est Clericis Beneficiariis, aut in Sacris Ordinibus constitutis prohibita, ut proximè dictum. Addit Belletus in *Disquisit. Clerical. part. 2. §. 51. de Penit. Clericor. num. 1.* etiam tunc intervenire negotiatiorem Clericis interdicitam, quando quis eorum rem quampiam, v. g. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, & opificum industriam, laboreque (non autem per semetipsum) aliquid efficiat; puta, ex lana empta pannum conficiat postea revenditurus, ut inde aliquid lucrari possit.

132 *Artificium* verò est, quando quis emit aliquam materiam, quæ postea per artem reducitur ad aliam formam: ut si quis emat vimina, & faciat canistra; vel emat filum, & faciat retia, aut hujusmodi *can. Efficent. dist. 88.* Et tale artificium non est Clericis prohibendum, quin potius commendatum, sicut & agricultura, dummodo fiat absque neglectu Officii Ecclesiastici: quia non implicat ad peccatum, sicut negotiatio, quæ tollet homines inducere ad mendaciam, perjuriam, fraudes &c. Hinc etiam Apostoli post Christi passionem redierunt ad piscandum, *Joan. cap. 21.* Sanctus Mathæus verò ad telonium non amplius rediit: quia istud posterius implicat ad peccatum, non verò prius; prout notavit S. Gregorius Papa *Homil. 24. in Evangelia.*

133 Resp. II. Clerici in Sacris constituti, aut beneficium Ecclesiasticum habentes, exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter; possuntque suspendi à Divinis, imò & excommunicari: & si tertio admoniti non respiciant, etiam aliis poenis arbitrariis puniri. Ita Barbofa *lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. num. 114. & 128.* Belletus *Disquisit. Clerical. part. 2. §. 51. de penit. Clericor. num. 2. & alii.* Idque patet ex *can. Negotiatorum. dist. 88.* ubi dicitur: *Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Concordat *c. Sed nec procuratores. 4. & c. Secundum 6. ne Clerici vel Monachi &c.* In quorum priori loco Clericus, contra doctrinam Apostoli implicans se negotiis secularibus, jubetur suspendi, seu ab Ecclesiastico fieri ministerio alienus. In posteriori autem sub imminatione anathematis prohibetur, ne Monachi, vel Clerici, causâ lucri negotientur: ac proinde contra facientes sunt excommunicandi. Atqui poenæ tam graves imponi non solent, nisi propter peccatum mortale: & consequenter Clericus, exercendo negotiationes faculares, peccat mortaliter.

134 Intellige, nisi exulet parvitas materiæ; puta, si Clericus temel, aut bis duntaxat, negotiatus fuisset: quia tunc non conferret peccasse mortaliter. Barbofa *cit. cap. 40. n. 120.* Diana *part. 1. tract. de Contractib. resol. 72. & alii.* Aut nisi exulet necessitas: puta, quia aliunde Clericus non habet, unde vivat. *cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi &c. Barbofa lo. cit. num. 119.* cum aliis.

135 Insuper Clericus ex motivo Charitatis licite potest emere victualia, ut habeat tempore inopiæ, vel famis, non solum pro suo usu, sed etiam, ut aliis egentibus tunc vendere possit pro currente pretio: dummodo istud non faciat lucri gratiâ (tale enim turpe lucrum dicitur, *can. Quicumque 14. q. 4.*) sed, ut dictum, ex motivo Charitatis, nimirum ut hæc ratio alius indigentibus subvenire valeat, exemplo Josephi Proregis Ægypti. Innocentius, & Abbas *cap. 1. num. 9. Ne Clerici vel Monachi &c. Aloy. Riccius part. 3. Praxis, Resolut. 199. n. 3. & Resolut. 202. n. 2. & alii.* Rursum, ubi à principio desuit animus ne-

gotiandi, seu lucrandi (puta, quia Clericus emit pernitentiam ad suum, suæque familiæ usum, & sustentationem, v. g. frumentum, butyrum, aut hujusmodi pro toto anno; ac præter propositum empta superflua, quæ postea revendit aliis pretio currente, licet cariore) non incurritur delictum, neque poena negotiatioms in Foro externo. Riccius *cit. Resolut. 202. num. 1.* Barbofa *d. part. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 40. n. 122.* allegans alios. Potest etiam Clericus agros Beneficiorum, aut bonorum suorum patrimonialium, operâ Laicorum colere, absque metu illicitæ negotiatioms. Sacra Congregatio Concilii Tridentini, relata per Barbofam *lo. cit. num. 127. vers. ad primam respondit.* Possunt quoque Clerici retinere, atque locare boves, oves, aliæque animalia, quæ habent ex successione, vel decimis; nec non fructus illorum vendere, absque reatu illicitæ negotiatioms: possuntque pariter vendere gramum, hordeum, & alios fructus recollectos ex bonis patrimonialibus, vel Ecclesiasticis pro sua, & suorum sustentatione. Eadem Sac. Congregatio Concilii, apud Barbofam *lo. cit.* ubi plures aliæ consimiles limitationes videri possunt: nam de his commoditatis agitur infra *Tit. 50. Ne Clerici, vel Monachi &c.* declarando simul ex processu, quanam in specie censentur negotiationes Clericis interdiciæ, nec ne.

Resp. III. Præter poenas supra enumeratas, si 136 Clericus tertio admonitus à negotiationibus secularibus non abtineat, perdit interim quoad bona sua privilegium Clericale. Textus est in *cap. ult. h. t.* ubi Glossa, Hostiensis, Jo. Andreas, Abbas in *Summario*, Vivianus, Barbofa, & communis aliorum. Ratio est: quia ejusmodi Clerici admoniti, nec respicientes, factio privilegium abdicunt Clericale: unde tu, quò minus, dum his negotiationibus se implicant, de suis facultatibus, Statutis & consuetudinibus patrie subjaceant, non defendas eosdem, prout ibidem loquitur textus. Quia enim negotiationes faculares exercere, Clericis est prohibitum, ut proximè dictum; hinc Clerici transgressores reddunt se ipsos privilegio suo indignos. Nam frustrâ legis (seu Ecclesiæ) auxilium invocant, qui committit in legem, *c. Contingit. 45. de Sentent. excommunicat. & c. Quia frustrâ. 14. de Usuris.*

Dicitur primò, tertio admonitus. Quia, ut Clericus negotiator perdat privilegium quoad bona sua, debet is tertio fuisse communitus à Superiore suo, juxta textum *cit. cap. ult. h. t. ibi: Si tales tertio à te communiti, non respuerint &c.* Aded, ut non sufficiat una monitio preemptoria. Glossa in *Clem. 1. §. Tertio. h. t.* Abbas *cit. cap. ult. num. 5. & Barbofa ibid. num. 4. h. t. Pirhing. eod. num. 28. & alii.* Siquidem in poenalibus, uti est præsens materia, verba debent intelligi strictè, & propriè; non autem largè, & fide, *arg. L. 3. §. Hec verba. ff. de Negot. gest. & c. In nostra. 8. de injuriis.* Nec etiam sufficit monitio generalis, ut omnes Clerici abtineant à negotiationibus: sed debet esse monitio specifica; ita ut apprehendat ejusmodi Clericum negotiatorem, juxta textum allegatum, *Si tales tertio à te communiti &c.* atque notat Abbas *cit. numer. 5.*

Dicitur secundo, perdit interim; hoc est, donec 137 desinat ab illicitis negotiationibus secularibus. Et additur, quoad bona sua privilegium Clericale, nempe quoad bona sua patrimonialia: aded, ut quoad hæc ligetur Statutis Laicorum, certas gabelas, pedagia, vel alias præstationes exigentibus, nec possit se privilegio Fori defendere. Nam factio suo privilegium abiecit Clericale; uti loquitur textus in *cit. c.*

§. V. Qualiter prohibitum sit

cit. c. Ex litteris, seu cap. ult. h. t. jundâ Glossâ *§. Cum factio:* quæ solvens instantiam notat, quòd, licet ipso verbo non possit Clericus privilegio Clericali renunciare, *c. Si diligenti. 12. de Foro competenti. & c. Contingit. 36. de Sentent. excommunicat.* possit tamen huic renuntiare ipso facto, hoc est, tale quid committendo, ratione cujus reddatur indignus privilegio Clericali, & Jura ipsam privant eodem. Atque istud procedit loquendo de bonis ipsius Clerici negotiatoris; sive, ut inquit textus, *de suis facultatibus.* Nam secus est dicendum de bonis, seu facultatibus Ecclesiæ: quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, juxta *Reg. 76. in 6. ac notat Glossa fin. cit. cap. ult. h. t.*

139 Uterius ejusmodi Clerici negotiatores amittunt privilegium Clericale solummodo quoad suas facultates, non verò quoad vitam personam: adeoque adhuc gaudent privilegio Canonis, *can. Si quis suadente. 17. q. 4.* Imò & privilegio Fori: ut proinde, si in negotiatione illicita delinquant, falsâ v. g. mensurâ utendo, non possint judicari, atque puniri à Judice seculari, sed à solo Judice suo Ecclesiastico. Belletus *cit. §. 51. de Penit. Cleric. nu. 7.* Glossa *d. cap. ult. §. Tertio. in fin. Abbas ibid. n. 7. h. t. Pirhing. eod. num. 28.* Siquidem textus illius Capituli, cum sit poenalis, non debet à facultatibus Clericorum, de quibus solummodo mentionem facit, extendi ad eorum personas, *cap. Odia. 15. de Reg. Jur. in 6. cum similibus.*

140 Queritur III. Utrum Clericis liceat exercere Ludos Theatrales, aut eisdem interesse? Resp. I. Ludi Theatrales, si fuerint inhonesti, scurriles, aut profani, non debent fieri in Templo, nec ubicunque per Clericos in Sacris Ordinibus constitutos: haud obstante quæcunque consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela; & proinde penitus extirpanda, cum per eam Ecclesiæ inquinetur honestas. Textus est in *c. Cum decorem. 12. h. t.* ubi Abbas, Vivianus, Barbofa, cæterique Doctores.

141 Additur verò, Ludi Theatrales, si fuerint inhonesti, scurriles, aut profani. Quia non prohibentur in Templo fieri repræsentationes rerum piarum, ac Mysteriorum Fidei Catholice: ut puta, repræsentando Præsepe Domini, Sepulchrum Christi, vel Ascensionem ipsius, aut hujusmodi, quæ sunt idonea ad excitandam in hominibus devotionem, & recolenda Mysteria Fidei; non ad provocandam lasciviam, voluptates, aut risum, *can. Semel Christus. de consec. dist. 2.* Glossa *cit. c. cum decorem. §. Monstra. & Abbas ibid. n. 1. & Barbofa nu. 6. h. t.* Belletus *Disquisit. Clerical. part. 1. §. 23. num. 10.* & alii docentes, quòd etiam Clerici possint facere repræsentationes rerum piarum, aut vitæ alicujus Sancti, atque illis interesse.

142 Resp. II. Ut Clerici mimis, jocularibus, & histrionibus non intendant, præceptum Concilium Generale, relatum *c. Clerici officia. 15. h. t.* Eisdem etiam injunctum legitur, ut à mundi voluptatibus sese abtineant: non spectaculis, non pompis intersint; convivia publica fugiant &c. Textus est in *can. His igitur. dist. 23.* Ubi Glossa per Spectacula intelligit turpes ludos, qui vel in nuptiis, vel in fœnis, aut alibi exhibentur; ut *can. Presbyteri. dist. 34.* statuente, ut Clerici etiam alienarum nuptiarum evitent convivia; nec his cæteribus miscantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia; aut obsceni motus corporum choreis, & saltationibus efferruntur: ne auditis, aut obtutus Sacris Mysteriis deputati, turpium spectaculorum, aut verborum contagione polluantur; prout ibidem loquitur Concilium Agathense. Unde, si adveniant histriones, seu joculariores, jubetur Clericus surgere, & recedere de mensa, *can. Non oportet. 37. de consec. dist. 5.* Glossa *cit. can. Presbyteri. §. Etiam alienarum. dist. 34.*

Clericis, gestare arma, &c. 21
Abbas *cit. c. cum decorem. nu. 1. h. t.* Belletus *d. §. 23. num. 6.*

Resp. III. Quòd si quispiam Clericorum jocularioriam artem exercuerit (agendo videlicet jocularioriam, seu histrionem, bufonem, sive goliardum, juxta diversitatem linguarum) atque per annum artem hujusmodi ignominiosam exercuerit, tunc ipso jure privatus est omni privilegio Clericali: si autem tempore breviori id præstiterit, & tertio monitus ab Ordinario non desinat, privatur per sententiam omni privilegio Clericali. Ita textus in *cap. 1. h. t. in 6. & Doctores ibid.* Idque merito: nam Clericus jocularior multum detrahit dignitati Ordinis Clericalis, cum mercedis causâ faciat ludibrium sui. Unde etiam Spectato Jure Civili, joculariores censentur infames, *L. 2. ff. De his, qui notantur infam. Et quidem ipso Jure;* prout notat Glossa *ibid. §. Definit.*

Resp. IV. Clericis etiam prohibitum est, larvas 144 dæmonum ante se ferri consentire: quia hoc est diabolicum, *can. Nullus Presbyterorum. de consec. dist. 5.* Multoque magis, larvis se tegere, *c. cum decorem. 12. h. t.* Belletus, ubi supra *§. 23. num. 8.* Tacentur plura hujusmodi, quæ vitam, honestatemque Clericorum commaculant, sicut fugienda sunt: aut commendant, ac proinde Clericis sunt prosequenda; de quibus tum in Decreto Gratiani, Libricis Decretalium; tum in Diversis Constitutionibus Apostolicis sparsim agitur; atque per Belletum integro Tomo, *Disquisitio clericalis* intitulo, & in duas partes divisio, aliisque Doctores, fusiùs declarantur.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

I Ratio ordinis Titulorum.

Cum Clerici, præsertim in Ordinibus Sacris constituti, castè & continenter vivere teneantur, prout inter alia Titulo præcedenti uberius dictum est; mulierum autem consortia vitam Clericorum de incontinentia reddant suspectam: hinc merito post priorem subjungitur Rubrica præsentis Tituli, quem pro majori claritate juvat in duos Patagaphos dividere.

§. I.

De vitanda Clericis cohabitatione mulierum, & concubinato, hujusque prohibitione.

SUMMARIUM.

- 2 & 3. Omnis suspecta cohabitatio cum altero sexu, est Clericis interdici.
4. Clerici non tantum à domo propria removere tenentur mulieres suspectas, sed nec alibi suspectam cum ipsis conversationem habere. Cujus vita despicitur, restat, ut predicatio contemnatur. Ibid.
5. Afferitur ratio ulterior Conclusionis.
6. Possunt tamen Clerici rei domesticæ gratiâ in domo sua habere mulierem non suspectam, v. g. matrem, amitam &c.
7. Concordatur textus *cap. 1. h. t. cum aliis Canonibus.*
8. Idemque dicendum de aliis idoneis feminis non suspectis.

22 Lib. III. Decretal. Tit. II. De Cohabitat. Clericor. &c.

- 9 Clericus tamen observet, ne solus cum sola, aut in tenebris confabuletur.
- 10 Saltem extra casum necessitatis.
- 11 Concubinae nomen dupliciter sumitur, videlicet in bonam,
- 12 Et in malam partem: & quid?
- 13 Concubinatus, quid, & quomodo differat à simplici Fornicatione.
- 14 An ad concubinatum requiratur, quoddam concubina sit domi retenta?
- 15 Concubinatus Clericorum fit notorius pluribus modis; & quibus?
- 16 Notorium est triplex: videlicet, Notorium juris.
- 17 Notorium facti: quod adhuc triplex est, sicut & factum.
- 18 Et Notorium praesumptionis; seu Notorium praesumptum.
- Notorium praesumptum, alio nomine dicitur Praesumptio Juris, & de Jure. Ibid.
- Paternitas, & Filiatio, non potest verè probari. Ibid.
- 19 Quomodo procedendum sit contra Clericos, qui publicè dicuntur habere concubinas, sed citari id negant? Et num. segg.
- Quando crimen concubinae est notorium, potest Judex procedere ad penam imponendam sine accusatore, & teste. Ibid.
- 20 Per negationem res efficitur dubia: & quando scilicet.
- Filius est argumentum incontinentiae patris, ambulans super terram. Ibid.
- 21 Si crimen Clerici sit publicum duntaxat ex fama, tunc Clerico id negante, opus est legitimam probationem.
- Fama etiam publica, sine aliis adminiculis plenè non probat. Ibid.
- 22 Quoddam de Clerico talis habeatur suspicio incontinentiae, ut ex ea scandalum oriatur in populo, tunc ipsi indicanda est Canonica purgatio &c.

2 **Q**uæritur I. Qualiter, & quibus cum mulieribus, prohibita sit Clericis cohabitatio? Resp. I. Omnis suspecta cohabitatio cum altero sexu est Clericis per Sacros Canones interdicta; ut non tantum ab ipso foedo opere, sed etiam à quovis periculo, atque suspitione infus reddantur immunes. Hinc can. Hospitalium dist. 32. S. Hieronymus ad Nepotianum, de vita Clericorum, in hæc verba scripsisse legitur: Hospitalium tuum aut raro, aut nunquam, mulierum pedes terant. Quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui feminarum accessibus copulatur. Fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit. Nunquam de formis mulierum disputet. Fœmina nomen tuum noverint; Vultum nesciant. Fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est, mulierem non tangere; malum est ergo, tangere. Hæc ibi. Concordat can. Legitur. dist. 81. ubi refertur, S. Augustinum nec cum sorore sua habitare consentisse, dicendo: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt: juncto can. In omnibus. & can. Archidiaconum. & can. Oportet. ead. dist. 81. cum similibus.

3 Huc accedit textus, cap. I. h. t. contentus, & ita loquens: Inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio esse potest, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam & sororem: quia instigante Diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut in pedissequis earum. Sed si qua de his necessitatem haberit, Presbyteri habeant in vicino, aut in villa domum longè à sua conversatione, & ibi eis, quæ sunt necessaria, subministrant. Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut infra cancellos stare, sive sedere.

Unde ad præcavendum omni sinistrae suspitioni optime faciunt Clerici illi, qui vel penitus nullam fœminam in domos suas recipiunt, sed necessaria ministeria per mares sibi fieri procurant; vel saltem intra sua hospitalia, fere interiores partes domus, ubi remanere consueverunt, fœminas ingredi non patiuntur.

Resp. II. Clerici non tantum à domo propria removere tenentur suspectas mulieres, sed etiam in domibus alienis eas accedere, aut suspectam cum ipsis conversationem ubivis locorum habere prohibentur. Ita communis; estque clarè decisum can. Clericus solus. & can. In omnibus. & can. Clerici, vel continentes. dist. 81. cum concordantibus. Accedit ratio: quia Clerici, qui populum exemplò & doctrinà pascere, ac instruere debent, ita in omni conversatione sese gerere tenentur, ut irreprehensibiles sint; Atque juxta monitum Apostoli 2. Corinth. 6. non vituperetur ministerium eorum, can. Oportet. ead. dist. 81. omnique nefanda de ipsis excludatur suspicio, cit. can. In omnibus. dist. 81. Alioquin enim doctrina ipsorum, atque exhortatio parum, aut nihil fructificaret in populo: nam legimus, & quotidianis etiam experimentis didicimus, cujus vita despiciatur, refert, ut prædicatio contemnatur; prout loquitur D. Bernardus Serm. 2. de Resurrex. Domini, paulò ante finem.

Accedit, quòd ex suspecta conversatione Clericorum cum fœminis scandalizaretur populus, dignitas Clericalis vilesceret, atque lapsus carnalis periculum subintraret. Ubi enim talis fuerit commemoratum cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt, ut inquit S. Gregorius relatus cit. can. Oportet. dist. 81. Nec est, quòd quis viribus suis confidat: cum nullus David de sanctiore, Samone fortiorem, aut Salomone sapienterem sese præsumere debeat; quos omnes tamen incauta mulierum conversatio, familiaritas & aspectus, in materia lubrica cadere fecit. Notum quippe est illud Ecclesiasticè cap. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Est etiam lapsus abici, non tamen abest lapsus suspicio, quam ipsam Sacri Canones graviter volunt à Clericis esse alienam.

Resp. III. Præmissis tamen non obstantibus licitum est Clericis, & à Jure concessum, in domo sua rei domesticæ gratiâ, seu ob aliud honestum motivum, retinere illas personas, sive mulierculas, in quibus naturale fœdus nihil permittit sevi criminis suspicari. Textus est in c. A nobis. 6. h. t. juncto can. Interdixit. dist. 32. ubi Sancta Synodus Nicæna quibuslibet Clericis interdixit, subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut amitam: aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones. Nam exceptio illa, Nisi forte aut matrem &c. limitat, atque firmat priorem Regulam in oppositum. Concordat can. cum omnibus. dist. 81. ubi præmissâ consimili prohibitione, ne Clericis omnino cohabitent extraneæ mulieres, hinc excipiuntur matres, aviæ, & materteræ, amitæ, sorores, & filia fratrum, aut sororum &c.

Dices. In cap. I. h. t. Sacerdotibus inhibetur, ut neque illas fœminas retineant, quas Canones concedunt, matrem, amitam, sororem; prout liquet ex verbis num. 3. relatis: ergo vel debet admitti contrarietas in Jure, quod est absurdum; vel oportet dicere, relatos Canones revocari per cit. cap. I. h. t. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Glossa in d. cap. I. §. Canones. h. t. quævis contrarietas tollitur, dictique Canones inter se concordantur, dicendo, quòd relatum cap. I. h. t. loquatur de Clericis, ac fœminis suspectis; prout indicatur illis verbis, de quibus suspicio esse potest &c. Quia, ubi fœminæ nulli suspectæ, rectè prohibentur cum Clericis manere, quamvis forent matres, amitæ, vel sorores ipsorum: idque ob periculum incontinentiæ, cum instigante diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur

§. I. De vitanda Clericis Cohabitatione mulierum &c. 23

reperitur &c. prout ibidem subjungitur. Econtrà alii Canones proximè allegati loquuntur de illis fœminis, de quibus nulla fubest suspicio mali: sicque cum Clericis pro necessario servitio, aut earum honesta sustentatione, manere permittuntur.

8 Resp. III. Præter illas fœminas non suspectas, quas Canones nominatim concedunt, etiam licitum est Clericis domi retinere alias, de quibus nulla prudens suspicio facti criminis concipi potest. Textus est in cit. can. Interdixit. dist. 32. ubi Synodus Nicæna præter matrem, amitam, etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones, Clericis habere permittit: junctâ Glossâ ibid. §. Idoneas, istud exemplificante in uxoribus servorum suorum, can. cum omnibus. dist. 81. Quibus addi possunt mulieres, quæ sunt provectæ ætatis, simulque probatæ virtutis ac pietatis, arg. c. cum in juventute. 15. de Præsumptione.

9 Resp. IV. Nichilominus pro possibili Clericus observare debet, ne solus cum sola confabuletur, nec in tenebris, aut occultis locis; sed sociatus aliis, vel saltem in conspectu aliorum in publicis honestisque locis necessaria cum mulieribus loquatur. Ita habetur can. In omnibus dist. 81. ubi & hujus ratio redditur, illis verbis: Et excludatur omnis nefanda suspicio. Certè solum, & ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit. Melius est enim, duos esse simul, quam unum. Simul enim & fidelius, & tutius res geritur. Concordat can. Clericus solus. & can. Clerici, vel continentes ead. dist. 81. ubi Clericus contraveniens jubetur deponi, & tæmina à limitibus arceri Ecclesiæ. Illa siquidem, quæ in occulto, seu clandestinè fiunt, sinistra suspitione, quam à Clericis semper abesse Jura volunt, non carent, arg. c. consuluit. 24. §. Ne vero. de Offic. & potest. Delegat. Nam juxta testimonium Veritatis, Joann. cap. 3. Qui malè agit, odit lucem.

10 Additur tamen in Conclusione, pro possibili. Quia auditio Confessio nisi Sacramentalis, vel abia necessitas, quæ legem non habet, aliud subinde fieri deponit: quæ proinde Clericum cum sola loquentem, tum à prudenti suspitione, tum à Canonum transgressione excubabit, juxta illud cap. 4. de Reg. Jur. relatum: Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nimia vero familiaritas mulierum, etiam domesticarum, aut consanguinearum est periculosa, & Clericis prohibita, can. Quorundam. dist. 34. Belletus Disquisit. Clerical. part. I. §. 25. de Disciplin. Cleric. n. 16. & 17. & alii.

11 Quæritur II. Quid sit Concubinatus, & quomodo probetur, siatque notorius? Resp. I. Concubinae nomen dupliciter sumitur, videlicet in bonam, vel malam partem. Priori modo Concubina dicitur ea, quæ cessantibus legalibus alimentis cuiuspiam juncta est, & conjugali affectu aliscitur, can. Omnibus. §. Concubina. dist. 34. Et talis censetur legitima cuiuspiam uxor, nisi quòd non solemnitè ducta fuerit: de qua intelligitur illud Concilii Toletani I. can. Is qui. ead. dist. 34. relatum: Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur; tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinae sit conjunctio contentus. Simile quid habetur can. Christiano. ead. dist. 34. ubi dicitur: Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem, aut certè loco uxoris (si conjux deest) concubinam. Verùm de tali concubina impresentiarum non est sermo.

12 Posteriori modo, seu in malam partem accepta Concubina, est mulier soluta, & corrupta, quam quis domi suo, vel alibi detinet pro carnali commercio consuetudinario. Et qui hujusmodi mulierem detinet ad explendam sæpius libidinem, dicitur Concubinarius. Unde facile colligi potest, quid sit Concubinatus: nam,

Resp. II. Concubinatus est illicitus consuetudinarius 13 concubitus cum aliqua fœmina soluta & corrupta, in domo sua, vel alibi commorante. Ita Farinacius Praxis Criminal. part. 5. seu De delictis carnis. quest. 138. num. 3. Sannig. tit. de Adulter. cap. 4. num. 4. & in re communis. Dicitur, illicitus concubitus, seu commercium carnale, tum loco generis: tum ad excludendum concubinatum in bonam partem acceptum. Et additur, consuetudinarius &c. quæ verba sunt loco differentia: & signanter per ly, consuetudinarius, differt Concubinatus à simplici Fornicatione, quòd hæc fiat etiam unico actu concubitus illiciti: Concubinatus verò requirit consuetudinem, seu repetitos concubitus; alioquin poenæ Concubinatûs non producuntur. Farinacius cit. part. 5. seu De delictis carnis. quest. 138. num. 9. citans alios. Sufficiunt tamen duo actus fornicarii, seu concubinatûs. Navarrus Confil. 2. n. 2. h. t. Pirhing. eod. n. 13. & alii. Nam in criminibus duæ vices consuetudinem faciunt, can. Ita nos. 25. qu. 2. junctâ Glossâ §. Usum. & l. Nemo deinceps. C. de Episcop. audit. junctâ Glossâ fin. ibid. elique jam dictum supra Tit. præced. n. 44. & 45.

Dicitur tandem, in domo sua, vel alibi. Quia licet de Jure Civili ad effectum concubinatûs videatur requiri, quòd concubina fuerit retenta in domo viri, juxta Glossam in l. Concubinam. & Bartolum ibid. ff. de Concubinat. nihilominus requiritur istud procedit solum de Jure Civili: secus de Jure Canonico. Farinacius cit. quest. 138. n. 10. & 12. Ac proinde Clericus retinens mulierem in domo, vel extra, cum qua habet consuetudinem carnalem, censetur concubinarius, quando de consuetudine constat. Farinacius cit. nu. 12. Belletus part. I. §. 15. de Disciplin. Cleric. num. 59. & alii. Idemque patet ex Concilio Trident. Sess. 25. cap. 14. de Reform. ibi: In domo, vel extra detineant.

Resp. III. Concubinatus Clericorum fit notorius 15 pluribus modis; videlicet, per sententiam (diffinitivam, ut explicat Glossa) seu per confessionem factam in Jure, aut per evidentiâ rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. Ita textus in cap. ult. h. t. Concordat c. vestra. 7. junctâ Glossâ §. Notorium. eod. Quin imò Rebuffus in Concordat. Francie. tit. De publicis concubinariis. §. Publici. asserit, quatuor modis Concubinarios dici publicos: nempe, quando eorum concubinatus patet per sententiam, aut confessionem in Jure factam, seu per rei evidentiâ, quæ nullâ possit tergiversatione celari, ut proximè dictum: atque etiam, qui mulierem de incontinentia suspiciant, & diffamatum tenent, & per suum Superiorem admuniti, ipsam cum effectu non dimitunt. Quòd ipsum ut melius intelligatur,

Notandum est cum Glossa cit. c. Vestra. §. Notorium. h. t. & Glossa in can. Manifesta. 2. q. I. ac Fasgnano c. Vestra. n. 69. & segg. h. t. & aliis communiter, quòd Notorium fit triplex; videlicet, aliud juris, aliud facti, & aliud praesumptionis. Notorium juris est, de quo aliquis in judicio condemnatus, aut in Jure confessus est: ut cap. ult. h. t. Quamquam si negetur, talem condemnationem, aut confessionem esse factam, opus sit ejus probatione, c. Sicut nobis. 16. de Sentent. & re judicata.

Notorium facti est, quod nullâ tergiversatione celari potest. Atque istud adhuc triplex est, sicut & Factum; nempe, Notorium facti permanentis, quod continuò se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari: unde non indiget aliquâ probatione, nisi inspectioe oculari. Notorium facti statim transiens: ut si quis in conspectu populi fuit occisus, aut hujusmodi. Et Notorium facti interpolati, quod fit publicè quidem, non tamen continuo, sed sæpius per intervalla iteratur: ut fit in utratro publico, aut meretricie notoria; quia nec ille conti-

24 Lib. III. Decret. Tit. II. De Cohabitatione Clericorum &c.

continuo mutuat ad usuram, nec ista continuo peccat, sed interpolatim. Et hujusmodi Notorium facti, tum transeuntis, tum interpolati, cum non habeat facti perleverantiam, si subesse negatur, indiget probatione. Nam, ut notavit Pontifex in c. Confuluit. 14. de Appellat. multa dicuntur notoria, quae non sunt: unde providendum est Judici, ne quod dubium est, pro notorio videatur habere.

18 Notorium praesumptionis, seu Notorium praesumptum, est dictum, vel factum, ex publicis circumstantiis, à Jure pro veritate acceptum: ut est paternitas, & filiatio. Nam quod aliquis sit alterius pater, vel filius, non potest verè probari, l. Lucius 83. ff. de Condition. & demonstrat. Sed Jus praesumat vehementer, eum esse filium, qui natus est de nuptiis, l. Filium. ff. De his, qui sunt sui, vel alieni juris: vel qui publice pro filio habitus, & nominatus, atque alitus fuit. Glossa c. Michael. 13. ff. Confuluit. de Filiis Presbyteri. Idem solet explicari in infamato, cui indicta est purgatio canonica, & deficit: praesumitur enim esse reus criminis; ut c. Insinuat. 13. de Simonia, cum similibus. Atque istud Notorium praesumptum, alio nomine dicitur Praesumptio juris, & de jure: in quo sensu, juxta Rebuffum, ubi supra, verificatur quartus modus notorietatis de concubinato Clericorum, qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatum tenens, & per suum Superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt. Concordat Hostiensis in Summa. n. 4. h. t. dicens: quod si Clericus converteretur cum femina suspecta, & post trinam admonitionem inveniat cum ea fabulari, vel aliquo modo conversari, factus est concubiniarius notorius juris, & de jure: & ideo condemnandus, juxta cap. 2. & c. Clericos. 3. & c. Si autem 6. h. t. juncto Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 14. de Reform. & amplius in progressu dicitur.

19 Queritur III. Quomodo procedendum sit contra Clericos, qui publice dicuntur habere concubinas; sed citati, atque examinati, id negant? Resp. I. Quando crimen concubiniarius est notorium, ut dictum, tunc potest Judex procedere ad poenam imponendam sine accusatione, & teste. Ita textus in c. Tua nos. 8. juncto Glossa ff. Celari & ff. Ex evidentiis & DD. ibid. h. t. Accedit ratio: quia in notoriis non est necesse, juris ordinem usquequaque servare, can. De manifesta. 2. q. 1. & c. Ad nostram. 21. de Jurjurand. & c. Evidentiis. 9. de Accusation. ubi super notorio procedit Judex sine accusatore.

20 Nec obstat, quod ejusmodi Clericus neget crimen; atque, ut dicitur L. 3. C. Quibus ad libertat. proclam. non licet, per negationem res efficiatur dubia. Resp. enim, Conclusionem procedere in casu concubiniarius notorii: sive deus is existat notorius per evidentiam rei; ut puta, quia Clericus publice in domo detinet suspectam mulierem, quam ut uxorem tractat; & maxime, si prolem ex ea susceptam publice alat (nam filius est argumentum incontinentiae paternae; ambulans super terram, can. Priusquam. dist. 28. ac notat Abbas d. c. Tua nos. nu. 7. h. t.) sive notorietate praesumpta, utpote inducente praesumptionem juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, c. Is, qui fidem. 30. de Sponsalib. Stante enim tali notorietate, negatio illa non proderit, l. Qui sententiam. C. de Panis. & l. Illud quoque. §. penult. ff. de Tributor. action. Neque per ejusmodi negationem res efficiatur dubia. Glossa cit. c. Tua nos. ff. Celari, & ff. Ex evidentiis. & Abbas ibid. nu. 4. & 7. h. t.

21 Resp. II. Quando crimen Clerici non est notorium modo praefato, sed publicum duntaxat ex fama; tunc Clerico negante se esse concubiniarium, opus est legitima probatione per testes, aut hujusmodi, ad

ipsum condemnandum. Ita textus, & DD. in cit. c. tua nos. 8. h. t. addit illi ratione: Cum non sit testimonis, sed testibus judicandum. Quasi diceretur: Non testimonis, quae dantur per scripturam, aut per testes extrajudicialiter, & sine juramento loquentes, vel ex fama, seu auditu alieno deponentes (talibus enim non sufficiunt ad condemnandum) sed testibus legitime citatis, atque de scientia, seu de proprio sensu judicialiter deponentibus, judicandum est: prout superius Lib. 2. Tit. 20. De testibus. §. 11. & 12. & seqq. ex professo dictum est, allegato ibid. n. 363. notabili casu, quo octoginta rustici contra Pastorem de fornicatione diffamatum, deposuerunt; nec tamen aliquid probarent, eo quod fuerint duntaxat testes ex auditu alieno. Accedit, quod fama, etiam publica, sine aliis adimniculis plene non probet, c. Tam literis. 33. juncto Glossa ff. De auditu. de testibus. Nam, ut c. Cum in juventute. 12. de Purgation. Canonice dicitur: Dicitur unius facile sequitur multum.

Resp. III. Quod si de Clerico in Sacris constituto talis habeatur suspicio incontinentiae, ita, ut ex ea scandalum oriatur in populo, tunc ipsi indicenda est Canonica purgatio: quam si praeslare noluerit, vel in ea praeslanda defecerit, tunc tenendus est secundum Canones veluti convictus. Ita textus in cit. c. tua nos. §. fin. h. t. & c. Inter. 10. de Purgat. canonice. cum similibus.

§. II.

De poenis Clericorum concubiniariorum, aut simplicem fornicationem committentium.

S U M M A R I U M.

- 23 Quae sint poenae Clericorum concubiniariorum, aut suspectam cum mulieribus conversationem habentium? Et num. seqq.
- Delictum, puta, concubinitas, quandoque est notorium, quandoque occultum, quandoque penè occultum. Ibid.
- 24 Concubinitas Clericorum omnino occultus non habet vindictam in judicio humano. Ecclesia non judicat de occultis. Ibid.
- 25 Concubinitas notorius Clericorum, secundum Canones, poenà depositionis puniuntur.
- 26 Potest tamen Judex, si sibi ita videbitur, mitiorem poenam imponere.
- 27 Si concubinitas Clerici sit penè occultus, tunc est distinguendum: an vel Clerico indicenda purgatio canonica; vel is monendus, ne ullatenus converteretur cum femina suspecta &c. Quod si post trinam admonitionem cum ea conversari reperitur, factus est notorius concubiniarius; & estque tandem excommunicandus. Ibid.
- 28 Femina verò canonicè judicanda, seu puniendae.
- 29 Et quomodo?
- 30 Clerici in Sacris, ac de concubinato suspecti, si post monitionem fornicarias non dimittant, debent suspendi &c.
- 31 Idemque dicendum de aliis Clericis Beneficium, seu pensionem habentibus.
- 32 Refertur Decretum Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 14. de Reform. diversas successivè poenas statuentes contra Clericos, qui concubinas, aut alias mulieres suspectas detinent.
- 33 Circa dictum Decretum plura dubia declaravit Sacra Congregatio Concilii, & quae?
- 34 Quid dicendum de poena privationis fructuum juxta citatum

§. II. De Poenis Clericorum concubiniariorum, aut &c.

- 23 Clericus concubiniarius an sit suspensus, atque ab aliis vitandus in Divinis? Et num. seqq.
- Dupliciter potest intelligi, Clericus criminiosum esse suspensus: videlicet quoad se, & quoad alios. Ibid.
- 36 Certum est, ejusmodi Clericum esse suspensum quoad se.
- 37 Tamen hujusmodi suspensio quoad se, non est suspensio proprie dicta, seu quae est censura Ecclesiastica.
- 38 Clericus concubiniarius notorius olim, seu spectato Jure antiquo, fuit suspensus etiam quoad alios.
- 39 Non item defacto.
- 40 Suspensio quoad alios Clerici notorii concubiniarii, an sit proprie dicta, seu directa, & censura Ecclesiastica, variant Doctores. Et num. seqq.
- Referuntur doctores, & rationes Sententiae affirmativae. Ibid.
- 41 Sententia negativa ponitur, ejusque fundamenta.
- 42 Solvuntur rationes oppositae sententiae.
- 43 Dantur aliae adhuc Clericorum concubiniariorum poenae. Et num. seqq.
- 44 Sunt enim per suspensionem, & interdictionem sententiam arctius cogendi, ut concubinas à se removeant &c. Non tamen debent cogi ad istas adjurandas. Ibid.
- 45 Et si Clerici in Sacris, aut Religiosis, matrimonium contrahere attentarent, ipso facto sunt excommunicati.
- 46 Clerici concubiniarii redduntur infames &c.
- 47 Ac repelluntur à promotione Ordinum. Sunt pauperes, ac miseri: sordi, non audientes monita Sapientum: omnibusque ludibriis, & scandalo, &c. Ibid.
- 48 Quali poenà puniendus sit Clericus propter simplicem fornicationem, absque qualitate concubinitatis? Et num. seqq.
- Enumerantur variae poenae contra eum in Jure statuta. Ibid.
- 49 Pro simplici fornicatione puniuntur Clerici arbitrio Judicis &c. Et num. seqq.
- 50 Diversitas poenarum, à Jure statutarum, dat optionem Judicis. Et num. 29.
- Melius est, redargui de misericordia, quam de severitate. Ibid.
- 51 Pro simplici fornicatione Clericus regulariter deponendus non est.
- 52 Bene tamen concurrentibus certis circumstantiis. Et num. praeced.
- 53 Aut si fornicatio sit qualificata.
- 54 Solvitur notabilis inflamata.
- 55 Triplex monitio quando debeat praemitti, antequam Clericus puniatur de concubinitate?

23 Queritur I. Quae sint poenae Clericorum concubiniariorum, aut suspectam cum mulieribus conversationem habentium? Ubi praenotandum conformiter textui in c. Vestra. 7. h. t. ac notat Fagnanus ibid. n. 9. quod delictum, v. g. concubinitas, quandoque est notorium, quandoque occultum, quandoque penè occultum; puta, quia extat suspicio de eo, sed nondum plene constat. Quo praenotato

nitentiam coram DEO sciam tollitur. Ita defumitur ex can. Erubescant. dist. 32. cujus verba num. seq. referuntur: nam, ut inquit Glossa ibid. ff. Secretorum, Ecclesia non judicat de occultis, can. Christiana c. 32. q. 5. cum similibus. Concordat Cap. ult. de temporib. Ordinarij ubi occultus criminiosus, puta reus adulterii, perjurii, aut hujusmodi (praeter reum homicidii) post poenitentiam permissit in susceptis Ordinibus ministrare, atque ad superiores ascendere. Accedit ratio: quia nullibi reperitur aliqua poena, in occultum concubiniarium à Jure statuta: haud obstante, quod occultus homicida fiat irregularis. c. Inquisitionis. 21. §. 1. de Accusationib. Nam istud reperitur in Jure statutum, non illud.

Resp. II. Concubinitas notorius Clericorum, in Sacris Ordinibus constitutorum, secundum Sacros Canones poenà depositionis puniuntur. Ita Farinacius quæst. 138. de Delictis carnis. n. 37. & 39. Menochius lib. 2. de Arbitrar. Judic. cas. 418. n. 2. & alii. Idque patet ex can. Erubescant. dist. 32. & c. A multis 9. de Ætate & qualitat. praesentium. ubi dicitur: Erubescant impij, & aperte intelligant, iudicio Spiritus Sancti eos, qui in Sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & castè vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur: Secretorum autem & cognitor DEUS, & judex est. Haec ibi concordat can. Decernimus, dist. 28. illis verbis: Decernimus, ut ii, qui in Ordine Subdiaconatus, & supra; uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque Ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum, vasa Domini, & Sacrum Spiritus Sancti debeant esse, & dici: indignum est, eos cubilibus, & immunditiis deservire. Ubi tamen Glossa unica, ad insignendam hujusmodi poenam, requirit praeviam admonitionem.

Fatendum tamen, quod Abbas c. At si Clerici. 26. n. 35. & 36. de Judicis. Menochius lo. cit. n. 5. & Farinacius cit. n. 39. allegans alios, istud intelligendum censent cum aliquo temperamento: ita videlicet, ut non per hoc sint ligatae manus Judicis, imponere etiam, si ita sibi videbatur, juxta facti, & personarum qualitatem, mitiorem poenam; ut puta suspensionem, aut aliquam aliam ex proximè enumerandis.

Resp. III. Si concubinitas Clerici sit penè occultus (hoc est, gravis quidem de eo subit suspicio, needum tamen exiit manifestus, sive notorius) tunc est distinguendum. Quia vel ex suspitione illa oritur scandalum: & tunc potest Clerico delictum neganti indici Canonica purgatio, quam si non praestiterit, vel in ea praeslanda defecerit, puniuntur, ut convictus, c. Tua nos. 8. in fin. h. t. & c. Inter. 10. de Purgat. Canonice. Hostiensis in Summa. h. t. n. 4. & alii; estque jam dictum proximè n. 22. Vel non est subortum ex illa suspitione scandalum; & tunc monendus est Clericus, ne aliquatenus converteretur cum femina suspecta. Quod si post trinam admonitionem adhuc invenitur cum ea confabulari, vel aliquo modo conversari, factus est concubiniarius notorius praesumptione juris, & de jure: atque ideo ipse est excommunicandus, femina verò canonicè judicanda, seu puniendae. Ita habetur can. si quispiam. dist. 81. & cap. 2. h. t. & clarius tradit Hostiensis cit. nu. 4. cum communi. Accedit ratio: quia post praeviam suspitionem concubinitatis rationabiliter conceptam, & secuta trinam admonitionem de dimittenda femina suspecta, si huic non paretur, inducitur praesumptio magna contra inobedientem; & talis, quam Jura habent pro veritate, & Doctores appellant praesum-

presumptionem juris, & de jure: sique ratione hujus presumptionis, simul & scandalose inobedientia, tandem frustra adhibitis aliis remediis, atque punitionibus in progressu enumerandis, poterit excommunicari, cit. cap. 2. h. t. juncto Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 14. de Reform. ordinem penarum successivè infligendam referente, ac ultimo loco ponente excommunicationem; uti patet ex verbis ejusdem, infra n. 32. vers. Quod si, referendis.

28 Additur notanter in data Conclusionè, Femina verò canonicè judicanda. Quia enim femina carnaliter peccans cum Clerico, committit sacrilegium, vel quasi sacrilegium; simulque peccat in Ecclesiam, Clerico turpiter adhærendo: hinc ea merito subijcitur Foro Ecclesiastico, ab eoque punitur. Abbas cap. 2. n. 3. h. t. Bellettus Disquisit. Clerical. part. 1. §. 4. De favore Cleric. reali. n. 53. & alii. Quamvis Layman. lib. 4. Theolog. Moral. tract. 9. cap. 4. n. 10. & Pirhing h. t. n. 6. notent, illud in praxi non observari; cum passim Judices seculares contra mulieres suspectas, & concubinas delinquentes cum Clericis, procedere soleant. Verum spectato rigore Juris, concubina Clerici puniri debet per solum Judicem Ecclesiasticum, quidquid sit de aliis criminibus per clericum unà cum Laico commissis, juxta dicta superius Lib. 2. Tit. 1. De Judiciis. §. 4. n. 100. & 103. ac seqq.

29 Ceterum femina, quæ cum Clerico fornicata est, aut suspectam cum eo conversationem habuit, debet per Judicem Ecclesiasticum expelli de domo Clerici; additâ inhibitione sub pena fustium, aut aliis penis, de non amplius habitando, vel conversando cum ipso. Bellettus cit. n. 53. Atque olim mancipabatur servituti, arg. can. Eos qui. dist. 23. Aut cupiam Monasterio ad agendam poenitentiam tradebatur, can. Fraternalitatis. dist. 34. junctâ Glossâ fin. ibid. Imò etiam excommunicari poterat excommunicatione majori, arg. c. Si concubina. 55. de Sentent. excommunic. Sed, quia Jura variè in hoc puncto loquuntur, melius dicitur cum Innocentio, Hostiensis, & Abbate cit. cap. 2. n. 5. h. t. quòd quidem ejusmodi concubina Clerici, per Judicem Ecclesiasticum sit cogenda agere poenitentiam; tamen in arbitrio Judicis sit, quam poenam debeat injungere. Quandoquæque enim Jura variè poenas injungunt, optio datur Judici: imposita tamen unâ poenâ, Juxta non potest transire ad aliam. Abbas loc. cit. & alii.

30 Resp. IV. Uterius Clerici de concubinato suspecti, an in Sacris Ordinibus constituti, si post monitionem, ut supra, jam factam fornicarias, live concubinas non dimittant, debent suspendi ab Ecclesiasticis beneficiis usque ad satisfactionem congruam: & si eas suspensi presumpserint detinere, ab eisdem beneficiis perpetuò removeri. Textus est in c. Sicut. 4. h. t. ubi Glossâ fin. hujus posterioris partis rationem assignat, dicens: Quia crescente contumaciâ crescere debet & poena, cap. ult. §. fin. Ut lite non contestata &c. & l. Relegati. ff. de Penis.

31 Deinde in c. Si autem. 6. h. t. ampliatur dicta poena ad quolibet Clericos, sive in Sacris Ordinibus, sive in minoribus constitutos, ac Beneficium, seu pensionem Ecclesiasticam habentes: statuendo, ut, nisi fornicarias, seu concubinas suas ad secundam, vel tertiam commonitionem à se dimiserint, eadem de cætero contempturi; possint ipsos Episcopos ultra officii interdictionem Ecclesiasticam, vel earum portionibus, appellatione postpositâ, spoliare, hoc est, in perpetuum privare; prout explicat Glossâ fin. ibid. Concordat can. Decernimus. dist. 28. ubi Innocentius II. in Concilio Romano decrevisse legitur, ut ii, qui in Ordine Subdiaconi,

natus, aut supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque Ecclesiastico beneficio careant. Quibus similia habentur can. De us. & can. Presbyter. ead. dist. 28. & can. Erubescant. dist. 32. & can. Habuisse, dist. 33. cum concordantiis.

Resp. V. Novissimè Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 14. de Reform. non solum poenas à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum contra Clericos concubinariorum antiquitus latas innovavit, verum etiam easdem ampliavit; ac distinguendo inter Clericos Beneficiatos, & alios beneficium Ecclesiasticum non habentes, atque inter Episcopos, præmissâ gravissimâ Prælatione, decrevit in hæc verba. Caput XIV. Quam turpe, à Clericorum nomine, qui se Divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitie sordibus, immundoque concubinato versari, satis res ipsa, communi Fœdium omnium offensione, summoque Clericis militiæ dedecore, testatur. Uigitur ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem Ministri Ecclesie revocentur, populisque hinc eos magis dicit revereri, quòd illos vitâ honestiores cognoverit. (Hætenus Præfatio) Prohibet Sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extrâ detineant, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin penis, à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis, puniantur. En! innovatio antiquorum Canonum, seu poenarum in ipsis, imò & in Statutis particularium Ecclesiarum contentarum: sequuntur novæ poenæ, vel priorum poenarum ampliatio, incipiendo à Clericis Beneficiatis, dum illis subiungit citatum Concilium.

Quòd si à Superioribus moniti, ab his se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quoruncumque, & pensionum, ipso facto sint privati; que fabricæ Ecclesie, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicentur. Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à Beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarios, etiam aut Sedis Apostolicæ Delegatos, arbirabitur suspendantur: & si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam versentur; tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis posterum reddantur; donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum eis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, interim consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adungere ausi fuerint; præter prædictas poenas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impedit, aut suspendat: prædictorum omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertinet: qui sine strepitu, & figura judicii, & solâ facti veritate inspectâ, procedere possunt. Hæc ibi, itam subiungendo poenas, Clericis non Beneficiatis; aut etiam Episcopis, sic (quod ablit) delinquentibus imponendas, in hæc verba.

Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem, ab ipsa Episcopo carceris poenâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis: juxta Sacros Canones, puniantur. Episcopi quoque, quòd ablit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint: ipso facto sint

sint suspensi, & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur; qui pro qualitate culpe, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat. Hætenus Concilium Tridentinum.

33 Circa quòd Decretum Concilii refert Nicolaus Garcias part. II. de Beneficiis. cap. 10. n. 185. plura per Sacram Congregationem fuisse declarata, quorum quatuordecim puncta enumerat. Et primò quidem censuit Sacra Congregatio, quòd istud Decretum de concubinato, & impudicitie sordibus Clericorum, non procedat in simpliciter incontinentia absque qualitate concubinatûs. Secundò, quòd habeat locum, etiam Clericus modò cum una, modò cum alia deprehendatur. Tertio, quòd illud, Si à Superioribus moniti &c. intelligatur de monitione specialiter, non autem generaliter, puta, per Edictum facta. Quarto, quòd monitiones, ex eodem Decreto faciendæ, non tantum in visitatione, sed aliis quoque temporibus fieri possint. Quintò, quòd tempus, quòd inter unam & aliam monitionem intercedere debet, arbitrio Episcopi relinquatur. Sextò, quòd poena, de qua in vers. Quòd si à Superioribus moniti, non habeat locum in Clericis, qui primò deliquerint, etiam Edicta generalia ordinaria præcellerunt; sed incurrat, ubi Clericus secundo deliquit: in primo enim puniri debet aliis poenis à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis; & demum, si monitus fuerit, & quidem specialiter monitione, & secundo delinquit, privatus est tertiâ parte fructuum, non tamen distributionibus quotidianis, quas ratione Canonicatus, vel Præbendæ Divinis interessendo, percipit præter fructus Præbendæ distinctæ. Septimò, quòd eadem poena censetur repetita in vers. Sin verò in delicto eodem, si secundæ monitioni non paruerit, qui suspendendus est ab administratione beneficiorum: & cum non possit interesse Choro, amittit etiam distributiones quotidianas, Octavo, quòd Episcopus possit procedere per denunciationem, inquisitionem ex officio, vel quo alio sibi videbitur modo. Tacentur cætera sex puncta dictæ Decisionis Sacræ Congregationis, apud Garciam, ubi supra, videnda.

34 Addit idem Garcias cit. part. II. cap. 10. n. 190. quòd poena privationis fructuum, quæ ipso facto, seu eo ipso imponitur à Concilio Tridentino Clericis cit. Sess. 25. cap. 14. de Reform. non videatur recepta in conscientia ante condemnationem. Nunquam enim (inquit) vidimus, audivimus, aut intelleximus, aliquem Clericum concubinariorum (aut suspectas mulieres domi, vel alibi retinentem) cum sint multi semel, bis, & pluries moniti, eos restituere: & idè tanquam non recepta, non videtur obligare in conscientia, quamvis deberent Judices nihilominus tam exequi &c. Hæc ille. Atque hæc applicari poterunt ea, quæ superius Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 10. n. 227. & seqq. dicta fuerunt; videlicet, quòd poenas etiam ipso jure impositas, quæ externam executionem requirunt, ante sententiam declaratoriam Judicis libere Reus in conscientia non teneatur, arg. c. cum secundum. 19. de Hæretic. in 6. Nisi Lex appositam habeat clausulam, Alia etiam declaratione non secuta: prout uberius ibi declaratur, atque probatur.

35 Queritur II. An Clericus concubinariorum sit suspensus, simulque ab aliis vitandis in Divinis? Ubi prænotandum, quòd impræsentiarum, & juxta cap. ult. h. t. cum similibus, dupliciter possit intelligi, Clericum criminiosum, puta, concubinariorum, esse suspensum. Primò enim potest ejusmodi Clericus dici suspensus quoad se tantum: & hoc modo quilibet Clericus pro quocumque peccato mortali censetur suspensus; eò quòd non possit li-

citè in tali statu Missam celebrare, nec alia Sacramenta administrare. Secundò potest Clericus intelligi suspensus quantum ad se, & quantum ad alios: ita videlicet, ut non solum ipse peccet, Missam celebrando, vel Sacramenta administrando; sed etiam alii audientes Missam ejus, vel de manu ipsius Sacramenta recipientes. His addi potest suspensio propriè dicta, seu quæ est censura Ecclesiastica, & cujus violatio inducit irregularitatem, de qua alibi. Hoc prænotato,

Resp. I. Certum est, quòd Clericus concubinariorum, seu fornicator, sit suspensus quoad se; adeoque graviter peccet, sicut & quilibet alius existens in peccato mortali, celebrando Missam, vel administrando Sacramenta. Textus est in cap. ult. h. t. juncto can. Quotidie. de consec. dist. 2. & c. De homine. 7. de Celebrat. Missar.

Fatendum tamen cum Innocentio in c. Si celebrat. n. 2. de Cleric. excommunicat. ministrant. & Abbate cap. ult. n. 2. h. t. ac Fagnano c. Vestra. n. 12. eod. Engel. h. t. n. 6. & aliis, quòd hujusmodi suspensio quoad se, non fit suspensio propriè dicta, seu quæ est censura Ecclesiastica, juxta c. Querenti. 20. de Verb. signif. & cujus violatio inducit irregularitatem. Idque desumitur ex cit. cap. ult. h. t. ibi: Priusquam punierint: sique, argumento à sensu contrario, inferre licet, quòd hujusmodi suspensio post actam poenitentiam illis cesset, & Clericus in continentem recuperet executionem officii sui. Abbas cit. nu. 2. Idipsum clarior habetur cap. ult. de Temporib. Ordinari. ubi criminiosus oculus, v. g. adulter, perjurus, falsarius &c. propter mortale peccatum suspensus quoad se, post præctam poenitentiam statim, & absque alia absolutione (excepto homicidâ) potest celebrare Missam; atque in jam susceptis Ordinibus ministrare, aut non dum susceptos accipere. Istud enim absque prævia absolutione fieri non potest, si suspensio quoad se, foret suspensio propriè dicta, atque censura Ecclesiastica.

Resp. II. Clericus concubinariorum notorius olim, seu spectato Jure antiquo, fuit suspensus etiam quoad alios: ita videlicet, ut peccassent audientes Missam, aliaque Officia Divina ipsius, vel recipientes ab eo Ecclesiastica Sacramenta, (excepto Sacramento Baptismi, Poenitentia, & Euchari-stia in mortis articulo) priusquam constitisset de ejus poenitentia. Secus dicendum de Clerico concubinario non notorio, & adhuc ab Ecclesia tolerato. Textus est in can. Nullus. & can. Præter hoc. dist. 32. & cap. ult. h. t. juncto Summario, & DD. ibid. expressè dicitur, quòd Clericus concubinariorum in Officiis Divinis vitandus non est, nisi sit notorius. Hunc enim ab aliis vitandum esse in Divinis, statuerunt citati antiqui Canones, ut is à populo sese contemptum videns, rubore verecundia facillis ad poenitentiam provocaretur; prout notavit Gratianus in d. can. Præter hoc. dist. 32. §. Prohibentur.

Additur notanter, Olim, seu spectato Jure antiquo. Nam defacto, sive post extravag. Martini V. Ad evitanda. & in Concilio Constantiensi pro evitandis scandalis, multisque conscientiarum timoratarum periculis editam, non tenentur amplius Fideles à Sacerdotis concubinariis, etiam notoriis, Missâ abstinere, aut ipsum in aliis Divinis Officiis evitare: nisi nominatim, ac publicè denunciatus fuerit esse excommunicatus, suspensus, vel interdictus, aut sit notorius percussor Clerici. Fagnanus in c. Vestra. n. 17. h. t. Pirhing. eod. n. 8. Sannig. cap. un. n. 10. Engel. eod. in fin. Barbosa. cap. ult. nu. 3. h. t. citans plurimos alios; esseque communis.

40 Resp. III. Num suspensio quoad alios Clerici notorii concubinarij sit suspensio propriè dicta, seu directà, & talis, quæ sit censura Ecclesiastica, variant Doctores. Et quidem sententiam affirmativam tenet Abbas c. *Vestra*. n. 7. h. t. Rebuffus in *Concordatam Francie*. tit. De publicis concubinariis. *vers. Primò*. & *vers. Tertia*. Belletus *Disquisit. Clerical.* part. 1. §. 5. de *Disciplin. Cleric.* n. 52. & part. 2. §. 3. de *Pœnis Clericor.* n. 1. Farinacius de *Delictis carnis*. quest. 138. n. 55. & *segg.* Julius Clarus *lib. 5. §. fin. quest.* 73. n. 3. Sylvester *Concubinariis*. n. 4. pluresque alii, quos citat Garcias *part. 7. de Beneficiis*. cap. 14. nu. 8. docentes, quod Clerici concubinarij notorii ipso jure sint suspensi ab officio, & beneficio: ita, ut collatio beneficii ipsis facta, sit nulla; & si celebret, fiant irregulares. Probant hanc sententiam ex *can. ult. dist. 33. & can. Erubescant*. *dist. 32.* ac præsertim ex *can. Præter hoc*. *dist. 32.* ubi Clerico publicè concubinario, ex parte Omnipotentis Dei, & autoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli præcipitur, & omnino interdicitur, ut Missas non canter, nec Evangelium, aut Epistolam ad Missam legat. &c. Non enim (inquit Abbas *loc. cit.*) videtur esse differentia inter hæc verba, *Suspendo te ab officio*, & alia, *Interdico tibi officium*. Sed per prima verba infigitur suspensio propriè dicta, adeò, quod celebrans efficiatur irregularis; ut *cap. 1. de Sentent.* & *re judicat.* in 6. & *cap. 1. de Sentent. excommuni.* in 6. ergo & per posteriora verba: quia non refert, quid per æquipollentiam fiat, *L. Certum. ff. de Rebus creditis*. Accedit Declaratio Sacræ Congregationis Concilii Tridentini *super*. cap. 14. *Sess. 25.* quam refert Belletus, ubi *suprà*, & Garcias *cit. cap. 14. n. 11.* & sic sonat: *Clerici concubinarij notorii sunt etiam hodie ipso jure à Divinis suspensi, prout in veteri jure sunt.*

41 Negativam econtrà sententiam, hoc est, asserentem, Clericos concubenarios notorios non esse suspensos verà, seu (ut loquuntur) directà suspensione, quæ sit censura, nec in ea celebrantes reddi irregulares; tenet Innocentius in *c. Si celebrat*. n. 3. & Jo. Andreas *ibid.* n. 4. de *Cleric. excommunicat. ministrant.* Covarruvias *Clem. Si suosus*. *part. 1. §. 1. n. 5. de Homicid.* Garcias *cit. part. 7. cap. 14. n. 19. & segg.* Pirhing *h. t. n. 18.* Barbosa *cap. ult. n. 4. eod.* allegans alios: ac novissimè Fagnanus *c. Quæsitum*. n. 22. h. t. indistinctè existimans, opinionem Innocentii hodie esse indubitatam. Ratio est: quia suspensio quoad se Clerici concubinarij, non est suspensio propriè dicta, nec inducit irregularitatem, ut dictum n. 37. Suspensio quoad alios verò hodie est sublata, juxta dicta n. 39. Accedit: quia nullibi in Jure reperitur expressè hujusmodi suspensio, seu inducens irregularitatem, si quis in ea celebret; ergo non est asserenda: nam irregularitas non inducitur, nisi in casibus à Jure expressis, *c. Is qui*. 18. *de Sentent. excommunicat.* in 6.

42 Nec urget *can. Præter hoc*. *dist. 32.* per Abbatem allegatus. Non enim sequitur, *Interdico tibi officium*: ergo es suspensus ab officio suspensione propriè dicta, seu directà, ac inducente irregularitatem. Tum quia ly, *Interdico*, sonat quidem prohibitionem, non verò censuram. Tum quia in pœnis benignior est interpretatio faciendâ, juxta *Reg. 49. Jur.* in 6. Simulque interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ, *l. Interpretatione*. *ff. de Pœnis*, cum similibus. Ad Declarationem Sacræ Congregationis non oportet respondere, donec de ejus veritate constet; atque afferatur in forma authentica. Eò præsertim, quia, ut hic allegatur, probaret etiam, quod Clerici

notoriè concubinarij defacto essent suspensi in Divinis quoad alios, prout fuerunt in veteri Jure: quod tamen est contra Bullam Martini V. *Ad evitanda*, & Doctores communiter.

43 Quæritur III. An dentur aliæ adhuc Clericorum concubinariorum pœnæ? Resp. Affirmativè: uti videre est apud Farinacium *tom. 5. Praxis Criminal. seu de Delictis carnis*. quest. 138. n. 35. & *segg.* & Rebuffum in *Tract. Concordatorum Regni Francie*. tit. De publicis concubinariis, ubi triginta tales pœnas enumerat; quamvis alii, & præsertim Farinacius *cit. n. 35.* adnotarint, pleraque earum potius incommoda, quam pœnas, verè dici posse. Probatur Conclusio inductione, enumerando complures hujusmodi pœnas.

Sic quippe Clerici concubinarij per suspensionis, & interdicti sententiam, sunt archius cogendi, ut concubinas à se removeant: & si ad ipsas redire, vel alias accipere forte præsumpserint, postea sunt excommunicandi, donec resipiscant. Textus est in *c. Clericos*. 3. h. t. junctâ *Glosâ ibid.* *§. Perpetuam*. Concordat Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 14. de Reform. vers. Sed si postquam*. estque amplius dictum *suprà* n. 27. Non tamen debet Prælati Clericos ejusmodi cogere ad abjurandas concubinas: Ne in eandem fornicationem instinctu diabolice fraudis redeant, perjurii reatum incurrant, prout loquitur Pontifex *cit. c. Clericos*. 3. h. t.

44 Quod si verò Clerici in Sacris Ordinibus constituti (idem dicendum de Religiosis, & Monialibus professis) matrimonium contrahere attentarint; præter nullitatem contractûs, ipso facto sunt excommunicati, *Clem. un. de Consanguinitat. & affinit.* estque jam dictum *Tit. præced.* n. 40.

Deinde Clerici concubinarij efficiuntur infames, *can. Infames*. *caus. 6. q. 1.* ac notati Farinacius *cit. quest. 138. n. 54.* & Rebuffus, ubi *suprà vers. Tertia pœna*. Unde, si moniti non resipiscant, non tantum suspenduntur à suis officiis, atque beneficiis, privanturque horum fructibus, ac successivè ipsis quoque beneficiis, per Jura nu. 30. & *segg.* allegata: sed etiam, antequam cum eis fuerit dispensatum, non possunt obtinere honores, dignitates, beneficia, nec officia. Concilium Tridentinum *cit. cap. 14. vers. Et si ita*. Nam, ut habet *Reg. 87. Jur.* in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Quod si verò Clerici suspensi, ut *suprà*, ante obtentam absolutionem celebrent Divina, efficiuntur irregulares, *c. Is cui*. 20. *de Sentent. excommunicat.* in 6.

45 Insuper Concubinarij à promotione Ordinum repelluntur, *arg. can. 1. & segg. dist. 27.* Sunt pauperes, ac miseri, *Ecclesiasticis*. *cap. 9. vers. 6.* Sunt turdi, non audientes monitâ Sapientum, sed agrè ferentes eos, à quibus corripuntur, *Ecclesiasticis*. *cap. 21. vers. 18.* ibi: *Audivit luxuriosus, & displicebat ei, & projecit illud post dorsum suum*. Semperque tristes incedunt, *Apocal. cap. 2. vers. 21.* & 22. Et sunt omnibus ludibrio, & scandalo, *Naum. cap. 3.* Tacentur aliæ hujusmodi pœnæ, atque incommoda concubinariorum, utpote qui bibant velut aquam iniquitatem; *Job. cap. 15.*

46 Quæritur IV. Quali pœnâ puniendus sit Clericus, in Sacris Ordinibus constitutus, propter simplicem fornicationem absque qualitate concubinitatis? Resp. I. Quando hujusmodi Clericus de actuali lapsu carnis, sive ante, sive post monitionem convictus fuerit, variæ contra eum reperiuntur pœnæ in Jure statutæ. Ita communis; & patet inductione. Nam Presbyter, aut Diaconus in fornicatione deprehensus, jubetur deponi, *can. 24. Apostolorum*. & *can. Presbyter & Diaconus*. *dist. 81. & can. Si quis Episcopus*. *eod. dist. 81.* Aut à

Sacer-

concupinariorum, aut &c. 29
Sacerdotali removeri officio, *can. Sacerdotes*. *dist. 50.* & *can. Maximianus*. *dist. 81.* Econtrà *can. Presbyter*. *si*. *dist. 82.* jubetur Presbyter de fornicatione convictus, sed in vitio non perseverans, agere poenitentiam decem annis, modo ibidem præscripto. Alibi interdictum ipsi ingressus Ecclesiæ, usque dum poeniteat, & emendet, *can. Si qui sunt*. *dist. 81.* Vel post præmissam monitionem non emendatus, ab Ecclesiasticis beneficiis suspenditur, *c. Sicut*. 4. & *c. Si autem*. 6. h. t. Aut prout magis, vel minus peccaverit, jubetur puniri secundum Canonicas Sanctiones, *c. ut Clericorum*. 13. *de Vita & honestat. Cleric.* Et quia Clericus in Sacris Ordinibus constitutus fornicando, siquæ violando votum continentie, committit sacrilegium, etiam pœnâ carceris, aut exilio perpetuæ deportationis, puniri potest, *can. Attendendum*. *caus. 17. q. 4.* junctò Tridentino, *cit. Sess. 25. cap. 14. de Reform. §. Clerici verò*: ubi nonnullæ aliæ Clericorum incontinentium pœnæ referuntur.

47 Resp. II. Pro unica simplici fornicatione punitur Clericus, etiam in Sacris Ordinibus constitutus, arbitrio Judicis, juxta qualitatem personæ, & circumstantiarum, infligendo hanc vel illam pœnam. Ita *Glosa can. Presbyter*. *dist. 82. §. Decem annis*, asserens, quod varietas delicti inducat varietatem pœnæ; siquæ Judex possit Clerico fornicatû mittere pœnam pro quantitate criminis, & qualitate personæ, aliarumque circumstantiarum, *can. Tempora*. *caus. 26. q. 7.* Abbas *c. At si Clerici*. n. 36. *de Judiciis*. Farinacius *quest. 137. de Delictis carnis*. n. 17. Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. cas. 418. n. 3.* & 5. Belletus *Disquisit. Clerical. part. 2. §. 2. de Pœnis Clericor.* n. 4. Julius Clarus in *Practica Criminali*. §. *Fornicatio*. n. 3. attestans de communi. Engel *h. t. n. 6.* & alii. Conclusio desumitur ex *cit. can. Tempora*. *caus. 26. q. 7.* & *c. ut Clericorum*. 13. *de Vita & honestat. Cleric.* cum similibus: junctâ *l. Absentem*. & *l. perspicuam*. *ff. de Pœnis*.

48 Accedit ratio. Quia, cum Jura tam antiqua, quam nova, non unam eandemque, sed varias Clerico fornicanti assignent pœnam, modò acerbam, modò mitem, ut dictum n. 48. hoc ipso videatur relinquere in arbitrio Judicis, ut penatis circumstantiis, putâ, qualitate personæ, gravitate scandalali, consuetudine patriæ, ac hujusmodi, imponat pœnam quandoque depositionis, quandoque suspensionis, quandoque privationis Beneficii: quandoque prius moncat, dum nondum plene constat de delicto, gravis tamen subest hujus suspicio: quandoque sine monitione privet, seu puniat, ex quo constat de delicto. Nam, ut inquit *Glosa can. Fratemitatis*. *dist. 34. §. Professura*, & Abbas *cit. n. 36.* diversitas pœnarum à Jure statutarum, dat optionem Episcopo; ut *c. de causis* 4. junctâ *Glosâ ibid. §. Certa*. *de Offic. Delegat.* Ac proinde, cum in proposito diversæ pœnæ sint statutæ, potest Judex infligere, quam magis viderit expedire, *arg. cap. ult. §. fin. Ut lite non contestata* &c. Ita tamen, ut semper in ipso delicto Judex declinet ad mitiorem partem: quia pauci sine vitio incontinentiæ reperiuntur; inquit D. Gregorius Papa, relatus *can. Quia sanctitas*. *dist. 50.* Et quia melius est, redargui de misericordia, quam de severitate. *can. Alligent. caus. 26. quest. 7.*

49 Resp. III. Etiâ pro simplici fornicatione Clericus regulariter deponendus non sit, nec beneficium Ecclesiasticum privandus: nihilominus concurrentibus certis circumstantiis, & si ita expedire judicaverit, poterit Judex etiam pœnam depositionis imponere. Ita *Glosa can. Maximianus*. *dist. 81. §. Removeantur*: asserens, communitè teneri, quod pro simplici fornicatione Clericus deponi non debeat. Et alia *Glosa can. Lator*. 2. q. 7. *§. In corporali*. Reiffenstuel *Jus Can. Tom. III.*

Abbas *c. At si Clerici*. n. 36. & 37. ac Felinus *ibid.* n. 13. & 14. *de Judiciis*. Julius Clarus *lib. 5. §. Fornicatio*. n. 3. Farinacius *cit. quest. 137. n. 17.* & 18. & alii. Prior pars patet ex proximè dictis n. præced. Altera pars declaratur inductione. Sic imprimis propter fornicationem Clericil notoriam, & scandalosam, posse imponi pœnam depositionis, arbitrio Judicis, tradit Abbas *cit. c. At si Clerici*. n. 35. & 36. *de Judiciis*, Farinacius *de quest. 137. n. 21.* allegans complures alios; quamvis nonnulli apud eundem n. 22. allegati contradicant, volentes, pro fornicatione etiam notoria non imponi pœnam depositionis, sed suspensionis.

Deinde, si Clericus incontinentens committat fornicationem qualificatam, v. g. peccatum stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, sodomia &c. extra controversiam est, ob Jura clarissima, quod talis fornicatio, ob annexam illam qualitatem, possit puniri pœnâ depositionis, seu perpetuæ privationis Beneficiorum. Atque ita habetur statutum, si fornicatio Clericil committatur cum Sanctimoniali, *can. Si quis Episcopus*. *caus. 27. q. 1.* Aut cum filia spiritali, eâ scilicet, quam vel in Sacro Baptismatis fonte recepit, vel ejus Confessionem audivit, *can. Si quis Sacerdos*. & *can. Non debet*. *caus. 30. q. 1.* Aut cum consanguinea, vel conjugata, *arg. can. Lator*. *caus. 2. q. 7.* junctâ *Glosâ §. In corporali*. & *can. Si quis Clericus*. *dist. 81.* Abbas *cit. c. At si Clerici*. n. 35. *de Judiciis*. Farinacius *de quest. 137. n. 23.* & *segg.* allegans alios. Tacetur nefandum crimen Sodomia, contra quam extat terribilis Constitutio 5. B. Pii V. *Cum primum*. & Constitutio 72. ejusdem, *Horrendum* (ac refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*) vi cujus Clericus sodomita non tantum omni Beneficio, verum etiam omni privilegio Clericali privatur, degradatur, traditurque Curia seculari ulterius puniendus.

50 Obijces contra proximè dicta. Concubinitas 53 Clericorum est longè gravior crimen, quam simplex fornicatio: atqui propter concubinitatem non potest Clericus illicè puniri pœnâ privationis Beneficii, aut depositionis; sed debet præcedere monitio, suspensio, ac hujusmodi, juxta *c. Clericos*. 3. & *c. Sicut*. 4. h. t. & Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 14. de Reform.* ergo idem, & quidem à fortiori, videtur dicendum de simplici fornicatione. Resp. primò, instantiam hanc solum procedere de simplici fornicatione, conformiter dictis n. 49. & 50. non verò de fornicatione qualificata. Resp. Secundo neg. min. si constat de concubinitate, seu repetitâ fornicatione. Nam Concilium Tridentinum *loc. cit.* non revocat pœnas Jure antiquo statutas: imò istas innovat, addendo tamen ipsi alias; quia igitur Jure antiquo, propter fornicationem qualificatam, riteque probatam, poterat Clericus puniri pœnâ privationis Beneficii, ac depositionis absque alia prævia monitione, per Jura proximè allegata; idem dicendum etiam pro pœne de Clerico concubinario, quando notoriè constat de actuali multiplicata fornicatione ipsis.

51 Nec obstat *cit. c. Clericos*. & *c. Sicut*. h. t. Quia 54 loquuntur in casu, quo nondum notoriè constat de concubinitate Clericil, sed solum habetur gravis suspicio illius: tunc enim debet præmitti triplex monitio, antequam Judex procedere valeat ad infligendas pœnas ibidem statutas. Atque in eodem sensu loquitur, præviamque requirit monitionem Concilium Tridentinum *cit. Sess. 25. cap. 14. de Reform.* uti patet ex illis verbis ipsis: *Prohibet Sancta Synodus quibuscumque Clericis ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum eis ullam consuetudinem habere audeant: aliquin panis, à Sacris Canonibus,*

vel statutis Ecclesiarum impositis puniatur. Quod si à Superioribus moniti, ab his non abstinuerint, terit parte fructuum — ipso facto sine privati &c. Ubi ponderandum h, de quibus possit haberi suspicio: item, quod monitio solum requiratur ad incurrandam ipso facto privationem tertie partis fructuum &c. non verò ad poenas à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum antiquitus impositas.

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

I Ratio continuationis Rubricarum.

Vifum est Titulo precedenti de cohabitatione Clericorum & mulierum illicita, videndum nunc restat de cohabitatione ipsorum licita, quæ oritur ex legitimo matrimonio. Circa quod, nec non circa privilegia Clericis conjugatis competentia, vel non competentia, plures occurrunt difficultates, unde fit

§. I.

De contractu matrimoniali Clericorum, & amissione Beneficiorum inde secuta.

SUMMARIUM.

- 1 Clerici in minoribus Ordinibus validè, ac licitè, matrimonium contrahere possunt.
- 2 Non verò Clerici in Sacris Ordinibus constituti.
- 3 Et cur?
- 4 Cur votum simplex Castitatis non dirimat matrimonium postea contractum, bene tamen solemne?
- 5 & 7. Cur Ecclesia voluerit Clericos, in Sacris Ordinibus constitutos, illegitimare ad contrahendum matrimonium?
- 8 Clerici Græcis in Sacris Ordinibus constitutis non licet matrimonium contrahere, sed solum antea contracto uti.
- 9 Clerici in Ordinibus minoribus contrahendo matrimonium, ipso facto perdunt Beneficium præhabitu. & num. seqq.
- 10 Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere.
- 11 Quomodo hujusmodi Clerici dicantur privandi suis Beneficiis?
- 12 Solutio alia instantia.
- 13 Vacatio ista Beneficii ipso jure inducitur, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato: non verò in sponsalibus de futuro. Et num. 16.
- 14 Clericus Beneficiarius post contractum matrimonium non recuperat Beneficium, licet uxor ipsius necdum cognita moriatur, aut Religionem ingrediatur.
- 15 Neque is potest retinere priora Beneficia &c.
- 16 Cur per sponsalia de futuro non vacet Beneficium præhabitu?
- 17 An Clerici invalidè contrahentes matrimonium, ipso facto perdant Beneficium præhabitu? Et num. seqq.
- 18 Affirmatur, quando impedimentum fuit occultum, atque à Clerico contrahente ignoratum, Ibid.
- 18 In matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.

19. 20. & 21. Et quid, si Clericus Beneficiarius scienter matrimonium invalidè contraxit.

Quæritur I. Quinam Clerici possint, vel non possint, matrimonium contrahere? Resp. I. Clerici in minoribus duntaxat Ordinibus constituti, validè, ac licitè matrimonium contrahere possunt. Ita communis; idque patet ex can. placuit. & can. Seriatim. dist. 32. In quo tamen posteriori loco excipiuntur Clerici, habentes votum continentie: nam hi ratione voti illicitè contraherent. Concordat cap. 1. & cap. 3. h. t. ubi Conclusio ampliatur ad Clericos Minoristas, beneficium Ecclesiasticum habentes, quamvis isto postmodum priventur, juxta inferendis dicenda.

Resp. II. Clerici in Sacris Ordinibus constituti, nec licitè, nec validè matrimonium contrahere possunt. Ita communis Catholicorum: atque patet ex can. Presbyterum. dist. 28. & cap. 1. h. t. ubi talia matrimonia, veluti invalida, separari jubentur; & Clerici sic contrahentes ad agendum de commisso poenitentiam per suspensionis, atque excommunicationis sententiam compelluntur. Quinimò juxta Clem. Eos qui. de Consanguinit. & affinit. ipso facto excommunicantur. Concordat Consilium Tridentinum. Sess. 24. can. 9. sic definitens: Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto --- anathema sit.

Accedit ratio: quia Ecclesia Clericos in Sacris Ordinibus constitutos (sicut & Religiosos solemniter professos) inhabilitavit ad contrahendum matrimonium; uti constat ex cap. un. de Voto in 6. junctis Juribus hætenus allegatis. Unde, sicut consanguinitas, vel affinitas usque ad quartum gradum: cum similibus, Jure Ecclesiastico impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: ita etiam dicendum est de voto, quod solemniter professos fuit per susceptionem Sacri Ordinis, aut solemnem professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ, juxta cit. cap. un. de Voto in 6. Nec obstat, quòd votum simplex castitatis solummodò impedit matrimonium contrahendum, non verò dirimat contractum. Resp. enim cum Scoto in 4. dist. 30. in fin. disparitatem esse: quia Ecclesia habentes votum solemne Castitatis illegitimavit ad contrahendum matrimonium; non autem habentes votum duntaxat simplex. Et hoc rationabiliter factum fuit: quia habens votum solemne castitatis, posuit se in potestate Ecclesiæ, quantum ad oppositum ejus, ad quod est contractus matrimonii; non verò alter, habens solummodò votum simplex. Et hinc noluit Ecclesia hunc illegitimare ad contrahendum matrimonium, sed eum reliquit judicio Divino: bene tamen illum.

Et si petas, quare Ecclesia voluerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos illegitimare ad contrahendum matrimonium? Resp. Causas hujusmodi esse multiplices, & graves. Prima desumitur ex doctrina S. Pauli Apostoli 1. Corinth. 7. ipsis conjugibus suadentis, ut ex consensu ad tempus abstineant ab actu conjugali, ut possint vacare orationi. Unde can. Si laicus. dist. 31. notanter dicitur: Si laicus, & quicumque fidelis orare non possit, nisi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper matrimonio carendum. Hæc ibi. Secunda habetur can. Decernimus. dist. 28. illis verbis expressa: Cum enim

§. I. De Contractu matrimoniali Clericorum, &c.

enim ipsi (Clerici in Ordinibus Sacris constituti) templum, vasa Domini, & sacrarium Spiritus Sancti debent esse, & dici: indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire. Tertia & cum præcedentibus in re concordans, continetur in c. Quod d. re. 3. h. t. quia videlicet Clerici simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac Divinis & Ecclesiasticis obsequiis, vacare non valent. Quod ipsum aliis verbis, & quidem clarioribus, declaratur c. diversis. 5. h. t. dicendo, quòd in Clericorum conversatione Cithara cum Psalterio malè concordet: cumque vir cogitet, quomodo placere possit uxori, idè minus, quæ Dei sunt, valeat cogitare &c.

Accedit quarta ratio. Siquidem uxoratus est divinus in duo, cogitatur, quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori suæ, 1. Corinth. 7. Unde plenam sui non habet potestatem, ut ei, à quo stipendium recipit (pura Ecclesiæ suæ) plenius famuletur, cit. c. Diversis. 5. h. t. Ubi & alia, seu quinta hujus ratio subjungitur: quia videlicet rerum Ecclesiasticarum substantia per tales (Clericos uxoratos) solet deperire, propter necessitatem alendi propriam uxorem, atque liberos, can. De Syracusana. dist. 28. Per quod etiam diminuitur hospitalitas, quam Sacri Canones in Clericis, præsertim Beneficiariis, requirunt veluti debitam, juxta dicta Tit. 1. De Vita & honestat. cleric. §. 2. num. 61. & 62. Simulque redditus Ecclesiastici, qui ex primæva Ecclesiæ, ac Fundatorum intentione, ad pios, pauperumque usus sunt destinati, in uxorem & liberos, alioque profanos usus expenduntur. Quin etiam subintraret periculum hæreditariae successione in Beneficiis, quam Ecclesiæ Dei semper detestatur, can. Apostolica. c. 8. q. 1. & c. Ex transmissa. 7. de Filiis Presby. cum similibus. Atque valideret dignitas Sacerdotum: nec majori in reverentia haberentur isti à populo, si ipsos sibi similes, neque specialiter vite puritate, atque perfectione nitentes conspicerent, contra can. Beatus Petrus. §. Infames. c. 6. q. 1. & can. Qualis enim c. 8. q. 1. cum concordantiis.

Dices. Clerici Ecclesiæ Orientalis, sive Græci Sacerdotes, defacto vivunt uxorati, non obstantibus præmissis causis; ergo allata Conclusio non videtur subsistere. Resp. neg. consequent. Quia neque Græcis in Sacro Ordine constitutis unquam licuit, aut defacto licet uxorem ducere, can. Si quis eorum. dist. 32. junctâ Glossâ un. ibid. sed solum eisdem permittitur est, uxore, quam virginem in Ordinibus Minoribus constituti duxerunt, postea in majoribus adhuc uti, can. Nicæna. dist. 31. &c. Cum olim. 6. h. t. Ubi Pontifex, hujus rationem reddens, sic loquitur: Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesiæ votum continentie non admittit: quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus ununtur matrimonio jam contracto &c. Quomodo autem Sacerdotes Græci præcaveant memoratis inconvenientiis, non est hujus loci investigare: saltem non sunt in tanta æstimatione, atque reverentia coram populo, quantum habere solent Sacerdotes Latini, atque in perpetua continentia viventes.

Quæritur II. Utrum Clerici contrahendo matrimonium perdant Beneficia prius habita; & quomodo? Resp. I. Si Clericus in Ordinibus minoribus constitutus contrahat matrimonium, ipso facto perdit Beneficium præhabitu, etiam ante aliam Judicis sententiam: adeò, ut statim à momento contractus validè initi, possit Beneficium alteri conferri. Ita Glossa cap. 1. §. Relinquenda, & Abbas ibid. n. 5. & Barbosa nu. 2. h. t. Covarruvias de Matrimon. part. 2. cap. 6. §. 3. n. 5. Navarrus cap. 25. Manual. nu. 129. Angelus in Summa. §.

Clericus §. n. 1. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 15. n. 43. & 44. Garcia part. 11. de Beneficiis, cap. 8. n. 1. allegans Rotam Decis. 1. h. t. in novis. Sanchez. lib. 7. de matrimon. disp. 42. n. 4. citans plurimos alios, atque assertens, illud esse certissimum. Conclusio hæc desumitur ex cap. 1. h. t. ubi Clerici in minoribus contrahentes matrimonium, distractione Ecclesiastica compelluntur ad relinquenda Beneficia Ecclesiastica. Quasi diceretur: quia Beneficia ipso jure jam vacant, merito coguntur Clerici ad eadem relinquenda. Accedit ratio: quia Beneficium, & matrimonium, de Jure sunt duo incompatibilia, cap. 3. & 5. h. t. cum concordantiis, & consequenter, qui matrimonium eligit, contrahit, Beneficio tacitè, atque ipso facto renunciare censetur.

Nec obstat, quòd resignatio Beneficii Ecclesiastici non valeat, nisi interveniente autoritate Ordinarii, talem resignationem acceptantis, can. Si qui verò. & can. Si quis Presbyter c. 7. q. 1. & c. Admonet. 4. de Renunciat. cum similibus. Resp. enim, hujusmodi Canones procedere de renunciatione expresse, quæ fit per verba, vel scripturam: secus dicendum de renunciatione tacita, quæ fit per facta illa, quibus positus est ipsius Juris constitutio Beneficium amittitur, seu retineri nequit. Nam, ut c. dilecti. 52. de Appellation. dicitur: Plus est facto provocare (resignare) quam verbo. Sive, ut Glossa un. ibid. loquitur, Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere. Et hinc in simili, Clericus per annum exercens artem ignominiosam hiltionum, ipso jure perdit privilegium Clericale, cap. un. de Vita & honestat. Clericor. in 6. quamvis huic verbi renunciare non possit, c. Si diligenti 12. de Foro competent. Unde Glossa cap. ult. §. Cum facto. de Vita & honestat. Cleric. rectè notat, quòd, quamvis Clericus non possit verbo renunciare privilegio Clericali, possit tamen eisdem renunciare facto, quatenus se reddit ipso indignum.

Dices. In c. Quod ad te. 3. & c. Diversis. 5. h. t. 11 dicitur, Clericos matrimonium contrahentes, esse privandos Ecclesiasticis beneficiis; ergo non sunt ipso jure privati, sed opus est sententiæ Judicis. Resp. neg. consequent. Nam hujusmodi Jura loquuntur de privatione possessionis, ac fructuum Beneficii, faciendæ per actualem expulsiorem, casu quo Clericus conjugatus violenter eos retinere vellet: non verò de privatione juris, ac tituli, quem Clericus antea habuerat, sed per contractum matrimoniale ipso facto jam amiserat. Et istud est, quod voluit Glossa cap. 1. §. Relinquenda. h. t. dicens, quòd hujusmodi privato, sive compulsio Clericorum conjugatorum ad relinquenda Beneficia præhabita, retorquetur quoad factum solum, sive possessionem: quia vacare intelliguntur ipso jure.

Urgebis. Poenæ externam executionem requirunt, non obligant in conscientia ante sententiam Judicis, arg. c. Cum secundum. 19. de Hæretic. in 6. ubi bona Hæreticorum ipso jure confiscata, non possunt apprehendi ante sententiam declaratoriam Judicis super crimine commisso; ergo idem dicendum de Beneficio Clerici uxorati. Resp. neg. consequent. Quia istud, quòd Beneficium Clerici matrimonium contrahentes statim vacet ipso jure, non est statutum in poenam delicti, ut super eo commissio requiratur sententia declaratoria Judicis (nam Clericus minorista contrahens matrimonium non peccat, sicut nulli poenâ dignus est) sed id provenit ex incompatibilitate statuti conjugalis cum Beneficio; ut proutdè Clericum eundem spontaneè eligens, censetur tacitè, et ipso facto Beneficium resignare, atque dimittere. Sanchez cit. lib. 7. disp. 42. n. 4. Engel h. t. n. 2. & alii.